

ad instantiam foelcis memorie pape Pii cuius nomine intercedebat apud nos <sup>r<sup>m</sup>un</sup> dom. Cardinalis S. Angeli. Et propterea si imperialis M<sup>ts</sup> de dictis castellis aliquod verbum tibi fecerit, conaberis solita tua dexteritate r<sup>e</sup>m iustificare et suadere, ut dignetur non movere amplius super illis difficultatem, cum de illis et de omnibus aliis locis et rebus nostris non minus quam de eius propriis sua M<sup>ts</sup> ad omne illius commodum pro libito disponere possit. Et in hoc uteris favore <sup>r<sup>d</sup>i</sup> dom. episc. Forliviensis qui ample se obtulit quieturum suam M<sup>tem</sup> quando maxime ex convocatione concilii cui incumbendum est, posthabitis huiusmodi difficultatibus sua paternitas et tu ostendere poteritis illam esse consecuturam longe maiora beneficia cum honore et gloria sua quam sint dicta castella que nullius sunt utilitatis.

Si qui de consilio imperialis M<sup>ts</sup> opponerent tibi quod loca capta per nos in hoc bello Ferrariensi essent imperii, poteris accomodate respondere, quod cum res he sint adhuc recentes non potes esse bene superinde informatus, quando maxime scis, multas in locis ipsis secutas fuisse novitates retroactis temporibus. Et hanc partem cum dexteritate declinare curabis solita tua prudentia.

Visitabis nomine nostro <sup>r<sup>m</sup>um d<sup>n</sup>um</sup> Strigoniensem, cui preter literas nostras ad eum directivas quas defert <sup>r<sup>d</sup>us</sup> d. episc. Forliviensis eius tenoris quem poteris videre per exemplum alligatum, gratias ages de optima illius erga nos et res nostras dispositione et mente significabisque magnam dilectionem qua prosequimur suam <sup>r<sup>m</sup>am</sup> dominationem ac desyderium quod habemus omnis sui honoris et exaltationis; et demum edificata eius <sup>r<sup>m</sup>a</sup> paternitate de nostro in illam affectu, laudabis et magnopere commendabis laborem per eam susceptum et studium adhibitum in hac profectione sua ad imperium; et declarata sibi gloria que ei afferetur et beneficiis que illi succendent procul dubio, si accendentibus studio et operationibus suis convocabitur concilium ab omnibus optatissimum et expectatissimum, studebis et conaberis excitare illius rev<sup>m</sup>am dom<sup>n</sup>em velit studiose incumbere effectuali convocationi ipsius concilii.

Cum dexteritate favebis archiepiscopo Craynensi tanquam viro integro et cupido ac studioso honoris et glorie ecclesie Dei curabisque honeste hortari et suadere illius liberationem.

Quantum ad rem comitis Ioannis de Frangepanibus pro quo magnam (ut nosti) instantiam fecit apud nos <sup>r<sup>d</sup>us</sup> d. episc. Forliviensis nomine Ces. M<sup>ts</sup>, scias nos deliberasse ei dare provisionem ducatorum sexcentorum auri in anno et ratione anni sibi respondenda ab officio nostro gubernatorum introituum quoad vixerit ultra ducatos IIII<sup>c</sup>. qui respondentur annuatim eius consorti, quod accommodatis verbis declarabis eidem <sup>r<sup>d</sup>o</sup> oratori et exinde imperiali M<sup>ti</sup> nos fecisse solum in gratificationem sue M<sup>ts</sup> pro filiali et singulari nostra observantia in illam proque desyderio ei moremgerendi.

Reliquum autem est, quod tam de promptitudine, animo et dispositione Cesaree M<sup>ts</sup> et illorum dominorum ad concilium, quam de